

## AD TITVLVM II.

## Circa Caput I.

De obligatione legis civilis in foro animæ, de quo & Titulo 3. num. 96. & seqq. aliisque locis, de quibus Index. v. Lex.

43 **D**iana Parte 10. Tractat. 15. Resol. 44. sententiam aliquorum, & quidem non exigua auctoritatis, adducit, qui affirmant leges civiles in conscientia non obligare; immo eorum quidam neque obligare posse contendunt. Quorum resolutio non versatur tantum circa leges penales, sed vniuersim procedit, sicut & eorum, qui apud eundem tenent saltem sub mortali non obligare: & quod plus est, idem de legibus Ecclesiasticis statuunt per se loquendo. Sed sententias prædictas improbabiles iudicat citatus Auctor, addens, *Ne dicam amplius*. Et quidem ille de duabus posterioribus loquitur. Circa priorem autem illam de potestatis defectu in seculari Principe plus aliquid videtur innuere, dum post verba Philippi de la Cruz per extensum adducta, sic subdit: *Sed displicet virum aliquo doctum hæc scripsisse: & in §. illius sine sic concludit: & contrarium asserere nullo pacto ferendum, scilicet obligare non posse; & ut possit, de facto non obligare sub mortali aliquando. Potuit certe amplius dicere iuxta ea, quæ ex P. Suario dedimus num. 3. huius Capituli. Et alij etiam amplectuntur, ut P. Valentia Tomo 2. Disput. 7. Quæst. 5. Puncto 6. §. Quod verò atinet: vbi ait videri sibi certum esse de fide, quem adducit & sequitur P. Salas Disput. 10. de Legibus, num. 7. §. Quarto, scribit. Et P. Granadus Tomo 2. Controu. 7. Disput. 2. num. 2. vbi tamquam veritatem Catholicam contra hæreticos id statuit: quod & indicat Lezana Tomo 3. verb. Leges Regularium, num. 49. Licet Sotus apud P. Valentiam sic tantum certum esse contendat, ut oppositum sit temerarium.*

44 Quamuis autem sint qui nullam censuram adiciant, ut Ioannes Pontius Disputat. 25. num. 37. P. Arriaga Tomo 2. in 1. 2. Disputat. 16. num. 4. & alij, non ideo censendi sunt à censurâ immunem prædictam sententiam arbitrari: quod quidem si arbitrentur, minimè tacuissent. Nec dicas à contrario sic argui posse; non inquam tacituros, si censurâ dignam fuissent arbitrati; est enim dispar ratio. Cum enim veritatem dictam vt communiter receptam ab Auctore amplectantur, cum eâ videntur qualitate amplecti, quæ communiter apud illos extat; cum certitudine inquam tali, cuius oppositum grauem censuram mereatur. Quod non ita accideret, si secus de qualitate sentirent; cum enim id singulare sit, exprimeretur sanè: sic enim sentire, & hic valde expediens, vt docti scriptores eâ notâ eximerentur, quam videmus propter assertionem præfatam incurrisse: non ergo audiendus Philippus à Cruce parum quidem Theologicè locutus, vt &

illius ostendunt fundamenta: quod Diana euidenter ostendit: licet quoad leges penales melius ab eo probari potuisse pronuntiet citato §. sed displicet. Vnde ex ea parte quoad factum non est illius sententia digna censurâ, secus quoad potestatem obligandi, & ita accipiendum quod à Diana dictum, qui tamen sine sufficienti est distinctione locutus. Circa cap. 6. & n. 58. Pro ibi dictis circa cognitionem causarum decimarum, ex Theologis fauet affirmantibus P. Fragosus Tom. 1. Parte 1. Lib. 2. Disp. 4. n. 361. §. His positis pag. 162. Col. 2. Quod non obstat assertioni nostræ, vix scilicet esse ex Theologis, qui eam in partem inclinarit: vna enim aut altera hirundo non facit ver. Videntur Leander Parte 3. Tractat. 5. Disput. 10. Quæst. 27. vbi cum aliis verissimè sententiæ suffragatur. Qui & Quæst. 30. causas de facto ad iudices Ecclesiasticos tantum spectare decernit.

## Circa Caput VII.

De recurſu per viam violentiæ ad Indicas Cancellarias.

De quo & Titulo 4. Cap. 8.

Vbi specialiter an liceat ob non registratas in Regio Consilio Patentes litteras Generalium, & in controuersis Religioſorum aliunde concitatis.

45 **Q**uia post scripta citatis locis nulla euenerunt, de quibus graues exortæ controersiæ, dum Religiosi inter se circa ius prælationis contententes, ad tribunalia prædicta valde feruidum habuere recurſum, & res est raro quodam arbitrio terminata: visum est hoc loco aliquantulum circa casus huiusmodi, prout mei institui fuerit, discutuisse.

Et in primis abſit à me, vt iudicem agam in iis, quæ ad mores spectant, turbas ex ambitionis spiritu concitatas, & exorta inde scandala suggillando. Nihil ad me ista, spirituum ponderatori Domino relinquenda. Quis enim me constituit iudicem super Religiosos, qui & morum ipsi magistri, & ambitionis damna satis habent perspecta, sciuntque veram magnitudinem, cuius ambiendæ causâ deseruere mundum, & abiecti esse in domo Dei magis, quam habitare in peccatorum tabernaculis elegerunt, à prælationum contemptu requirendam? Ille verò erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino Matth. 20. v. 26. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* Vt præclare dictum à Cassiodoro Lib. 10. §. 5. & scholæ suæ alumnos formabat cœlestis Magister hæc cum diceret, qui dicere verissimè potuerant: *Eccē nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Cap. 19. v. 27. vt intelligamus religioſa abrenuntiationis consequentiam esse legitimam explosum ambitum, & admatam propter amorem Christi seruitutem, cui seruire, regnare est, & sic aliis coram Deo, in quo vera est sita magnitudo, esse maiorem. *Seruidiosè operam dato, vt omnium nominis sumus sicut ac seruus omnium*

num, quando ista ratione vnā vnā tibi ac solidam gloriam paries, non autem illam vanam, cassamque. Verba sunt Diui Basilij Sermone de abdicatione rerum. Et quod ad hoc spectat verbis Athalarici claudendum, qui apud Cassiodorum Lib. 9. 25. sic scribit: *Iniquum est enim vt locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis diuinâ consideratione excludimus.* Sic ille.

46 Deinde, cum plurimarum inter Religiosos controersiarum decisio ex notitia exacta Constitutionum, variorumque scriptorum ad institutum pertinentium, consuetudinum, ac personarum pendeat; ad me illa non spectat, & arbitror ab externis vix posse illas ritè ac rectè componi: quamdam enim experimentalem scientiam ista requirunt, & personarum intimiorem cognitionem, sicut & modi agendi, ac domesticæ gubernationis. Quod Innocentius Tertius apprimè dignoscens in Concilio Lateranensi, cum circa celebrationem triennialium Capitulorū, quæ apud Monachos nonnullos non erant in vſu, opportune disponeret, sic subdidit: *Aduocent autem in huiusmodi nouitatis primordijs duos Cisterciensis Ordinis vicinos Abbates ad præstandum sibi consilium, & auxilium opportunum, cum sint in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati: qui absque contradictione &c.* Sic habetur Cap. in Singulis de statu Monachorum. Sic etiam Theodorici, aut alterius ex regibus Romæ dominantibus, vnde & Romanis Gothi permixti, legibus constitutum, vt commodos quique iudices haberent, quod à Cassiodoro sic expressum Lib. 7. Formula 3. *Cum, Deo iuuante, sciamus Gothos vobiscum habitare permixtos, ne qua inter consortes, vt si solet, indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus illum sublimem virum bonis moribus hætenus comprobatum, ad vos Comitum destinare qui secundum Edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare: si quid etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortasse negotium, adhibito sibi prudente Romano, certamen possit æquabili ratione dirimere. Inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per provincias dirigimus cognitores, vt vnicuique sua iura seruentur &c.* Quomodo ergo absurdum & indecorum non sit vt Religiosos iudicent seculares, pro quo maior absque dubio ratio videtur vrgere?

47 Præterea, quia per rescripta Regia, de quibus Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. num. 29. & in Politicâ pag. 727. in fine, & 728. ferè cautum vt quædam Generalium, aut supremorum aliorum Prælatorum mandata non finantur in Indijs executioni mādari, nisi apud supremum illarum Consilium fuerint registrata; id quidem sine serupulo sustineri potest: existimandum enim est à Catholico Rege, cuius nomine Regium Consilium decernit, nihil immunitati Ecclesiasticæ apertè contrarium prouenire. Vbi & regia illa vox apud Cassiodorum Lib. 6. Formula 9. congruè adsonat: *Consabulationes siquidem nostræ erunt tibi instrumenta iustitiæ, quando illud gratum nobis esse perspexeris, quod & diuinis potest conuenire mandatis.* Sic ille patrimonij regij Curatorem allocutus. Enimvero cum talia disponuntur, probabili saltem fundamento dispositiones nituntur, & auctoritas sapientium extrinsecam conciliare auctoritatem potest, & sufficit, vt non debeant statim quasi iuri & rationi ad-

Theſauri Indici Tom. I.

uerſantes condemnari; quæ & delegatione Apostolicâ niti affirmat Fr. Emmanuel Rodericus Tomo 1. qq. regul. q. 35. art. 2. §. *Aduertendum.* Illarum autem ratio in casu, de quo loquimur, obscura non est: solent enim turbare Religioſas familias quandoque illa, quæ nouum modum gubernationis inducunt, vnde & scandala erumpentia forinsecus inspicuntur: quæ ad Cancellarias Regias dum veniunt, magnum solent impedimentum expeditioni negotiorum inferre, ac negotio promouendæ fidei non parum obesse, cuius peculiaris cura Regibus nostris à Sede est Apostolicâ sub graui conscientiæ onere demandata, vt ex Tituli 1. prioribus est Capitibus manifestum.

48 Quo in genere illud obseruandum: venit, quod si contingat Patentes aliquas litteras Reuerendiss. Generalium, aut aliorum non registratas transmitti, illæque à Religioſis sine colligationibus acceptentur, poterunt Regiæ Cancellariæ dissimulare, si extra iudicalem notitiam fuerint assecutæ. Ratio est, quia cessat motuum Regiæ prohibitionis, pacis scilicet turbandæ periculum; & quia in res huiusmodi non est conueniens laica Prætoria nisi ex graui necessitate se ingerere: vnde neque pro hoc videtur Regia iusſio, quæ semper rationi est & æquitati conformis, vrgere. Pro quo stat id, quod Dom. Solorzanus circa materiam rescriptorum pro Religioſis tradit supra num. 107. & Politicâ pag. 736. §. *Todo lo qual.* De cessante finali causâ dispositionis. Cui non obstat à Regio Consilio non semel iustas colligi Patentes non registratas in ipso, & remitti ad ipsum, vt ex eodem Scriptore constat prioribus citatis locis: quia vt ita fieret, aliquorum fortè instantia querelantium intercessit, vel turbellarum suspicio, & vt hoc pacto Religioſi in posterum circa talia fierent cautiores, Regijque Consilij mandata minimè contemni videantur. Facit & pro eodem id, quod apud eundem extat num. 36. & pag. 729. §. *Los Iesuitas,* vbi circa Religioſos Societatis Iesv registram dictum non habere locum ostendit, eò quod nihil eorum gubernatio turbidum habeat, à Reuerendissimo P. Generali plenè dependens: *At que adeo nullum disturbium timere potest:* verba illius sunt. Vbi ergo disturbiorum constat abesse periculum, tale aliquid potest sine Regij mandati violatione permitti. Tunc autem in viroque foro valida erunt acta virtute Litterarum.

49 Illud difficilius, an collectis Patentibus idem dicendum sit, valida scilicet acta futura. Ad quod dico, acta ante collectionem omnino valida fore, quia non est fundamentum quod pro inualiditate vigeat, iurisdictionem enim supremum Prælatum confert, aut exercet in ordine ad actum, pro quo illam habet, & omnino spiritus est: quæ dum manifestè impedita per Superiorem potestatem non est, suum sortitur effectum: non est autem superior laica potestas, vt constat.

50 Ad quod dici potest Primò Superiorem dari posse ratione delegationis: quia, vt ait Fr. Emmanuel supra, illam habent Reges nostri in ordine ad Patentium retentionem, vnde & consequenter videntur habere in ordine ad effectus ex illis resultantés, & ratione quorum sit prohibito,



bitio, ex vulgari axiomate, *Propter quod unum-  
quodque tale &c.* Sed hoc non est admittendum: quia cum potestas dicta non inueniatur concessa cum eâ amplitudine, & sit valde exorbitans ab Ecclesie consuetudine, non est dicto modo extendenda. Sin minus dici poterit Reges nostros habere ita iurisdictionem pro foro animarum, ut Censuras fulminare possint in ordine ad executionem vrgendam, quia delegata potestas in sua amplitudine ad id totum se extendit. Axioma autem illud, licet suas exceptiones habeat, de quo à me dictum in Scholasticis, in presenti admitto, & dico Reges nostros magis velle prohibere effectus Parentium quam Patentes ipsas, sed eo modo, quo possunt; non possunt autem inuoluidando, sed agendo ne effectum habeant. Sicut cum prohibent ne Episcopi sine Executorialibus conferantur, & Bullas in Regio Camera Consilio registrari iubent, consecrationem quidem omnino prohibere conantur, & propterea prædicta disponunt; quo non obstante consecratio aliter facta, suum habebit effectum.

51 Dico *Secundo* potest Prælatorum voluntatem talem esse, ut nolint Patentes suas iniuris Regibus robur in foro conscientiarum habere, sic enim Regiarum voluntati magis se conformes exhibent, ut est æquum eosdem prestare, scientes grauissimas esse causas, & ad Religionum ipsarum bonum conducentes, propter quas sic est ab illis, maturâ habitâ virorum sapientium deliberatione, dispositum. Ac deinde probè dignoscens ex vlu contra Regiam voluntatem grauiâ posse incommoda suboriri, & quoad forum animarum conscientias periclitari, dum quidam constrictos se reputant, alij deobligatos se penitus arbitrantur. Sed neque hoc multum momenti continet, quia Prælatorum voluntas aliter interpretanda est, dum ipsi aliud non inueniuntur declarare. Numquam enim conditionaliter statuunt, sed in eo imitantur Pontificias decisiones, quæ absolutæ sunt, & licet registro obnoxie non sint, suum robur obtinent, cum tamen sciant Pontifices pro registro congruas rationes occurrere, & nonnulla inconuenientia posse aliquando ex illius subsequi defectu. Vnusquisque ergo ut potest, statuit, & rem bono successui committit, auctoritati propriæ consulens, conditionibus prætermisissis. Et quidem graue est Prælati onus registri, & aliqui eorum pro viribus sunt conati illud declinare: ac Reuerendiss. Commissarius Indiarum PP. Minorum, qui in Regia Curia residet, id obtinuit, eò quod à Rege ex tribus, qui eidem à Regio Indiarum offeruntur Consilio, ad libitum eligatur, ut videri potest apud Dom. Solorzanum *suprà num. 41. & pag. 730. s. T en esha.* Cum autem Reuerendissimus Minister Generalis agrè ferret inferiorem sibi Prælatum in eo esse genere superiorem, supplicatione interpositâ egit ut Commissarij Patentes registro subiicerentur, quod est facile assecutus. Quia ut Reuerendissimus Generalis Ordinis Prædicatorum registro Patentium suarum magis videbatur obistere, in Regiis nouioribus schedulis registrum vrgentibus specialis eorum mentio addita, & peculiaris circa illorum Patentes curra, ne sine registro transeant, intimatur. Cum ergo graue onus sit, non est verosimile velle ipsos Patentes suas

omni prorsus valore destitui, si non fuerint registratæ: existimantes maius esse inconueniens in subiectione illa ad laica tribunalia, quam in eo quod sine registro validæ apud subditos habeantur.

52 Et hinc videtur iam constare quid sit de actis post Patentium collectionem dicendum, in quo Dom. Solorzano in *Politica pag. 728. s. T que esha*, affirmat cessare earum effectum in vtroque foro. In quo quidem significare non obscure videtur ante collectionem vim suam habere, & ita quæ circa hoc diximus, inde veniunt roboranda, cum non sit viri tanti auctoritas contemnenda. In alia autem apertiore assertionem contrarium habet Fr. Emmanuelem de vtroque foro loquentem citato loco, vbi specialiter de visitatione id tradit *regimini Ordinis vel gubernationi conueniente*: rationem reddens his verbis, ex quibus præfatam deducit positionem: *Quia in hoc non impeditur gubernatio pro conuertendis Indis, sed inuatur.* Sic ille. Inuatur inquam, quia Religiosa obseruantia visitatione promota ad Indorum conuersionem valde conducere potest. Dico autem Auctorem hunc Dom. Solorzano esse contrarium, quia licet non loquatur in casu, de quo est quæstio, quando scilicet Litteræ sunt collectæ, illius tamen resolutio absoluta est, sicut & ratio, quam ex eodem adduximus. Et ita quidem videtur dicendum quando Patentes receptæ in Prouinciâ sunt & intimatæ, ac postea colliguntur; scilicet si ante receptionem: nullo enim modo videtur verosimile, ut supremi Prælati velint Patentes suas non receptas, neque intimatas, in Prouinciis effectum habere, cum id sit contra ordinarium stylum, licet aliâs notitia earum, & contentorum in ipsis possit haberi, si præsertim delegationem aliquam contineant, cum sciant Delegato non ostensis suæ delegationis Litteris non credi, ut est iure compertum. Cap. *Cum in iure*, de officio Delegati. Et in Extrauagante *Inuoluta*, de electione alibi que.

53 Neque hoc videtur à Dom. Solorzano conuenienter improbatum, dum sic ait: *Quod non facile admitti debet: nam etiam si dictæ Litteræ mittantur Religiosis in eisdem Prouincijs commorantibus, debent & solent prius coram Regio Senatu presentari, & aliter missæ per Religiosos dictarum Prouinciarum non recipiuntur, & ad Prælores, & Audiencias recurritur, qui eas colligunt, & ad Regium Senatum mittunt, iuxta schedulas supra relatas.* Sic ille. Qui, dum ait id non facile admittendum, non videtur penitus improbandum iudicare. Et præterea recursus ille ad Prælores & Audiencias non probat intentum: quia est nudum factum repugnantium mandatis Prælatorum: cum tamen de valore actuum agamus, & vbi talis recursus non habetur; vel si habitus est, & Patentes collectæ post intimationem, de hoc est quæstio, an vim nihilominus habeant, si videlicet, eo non obstante, saltem in foro interiori iuxta earum tenorem prosequantur: aut etiam in exteriori, si non sint qui reclamant metu incurrendæ Generalium offensionis.

54 Pergit autem citatus Doctor in *Politica, & s. post adductum sic scribit: T paraque casen estos inconuenientes, es mayor que las pafen, supuesto que el Consejo siempre las pasa &c.* Iuxta quæ registratio

stratio tantum est melior & conuenientior: non ergo omnino necessaria, ita ut sine illa nullius valoris sint acta, cum bene tunc Religiosi agant, qui registrando melius eodem recte fecissent. Quod quidem tunc certius, cum Prælatorum Litteræ dispensationem aliquam continent, aut declarationem Constitutionis, aut Decreti alterius. In quo quidem ita scrupulosè à Regio Consilio actum nuper, ut Litteras circa declarationem huiusmodi à Patribus Minoribus Prouinciæ Limarum petitam & impetratam, iusserit registrari. Quod credo in odium fuisse affectatæ circa hoc quorundam libertatis; cum constet aliâs hoc ad gubernationem ordinariam pertinere, in quâ lex registri non vrget, de quo statim.

55 Quarto igitur circa id, quod in schedulis præfatis dicitur, vbi significatur nonnulla, pro quibus necessarium est registrum, ut extinctio & erectio Prouinciarum, fundationes Conuentuum, Visitatorum generalium, aut Prouincialium assignatio & transmissio, sicut & Religiosorum, nominationes Præsentium pro Capitulis: & statim additur: *O cosas que inuouaren en las Religiones, y no fueren en lo tocante al gobierno ordinario de ellas.* In quibus illud prius obseruandum, non videri inclusas assignationes Visitatorum, nisi quando illi ex Europa, aut Prouincijs alijs destinantur: dicitur enim *en viar Visitadores generales, & Prouinciales.* Qui autem ex eisdem Prouincijs eliguntur, non dicuntur omnino propriè mitti. Et eodem modo accipiendum quod dicitur de Præsentibus Capitulorum, quia est pariformis determinatio, & ita accipienda ut præcedens, per adducta à Dom. Solorzano *num. 82. & seqq.*

56 Deinde generalis illa conclusio, *O cosas que inuouaren en las Religiones*, alteri videri contrariam: *T no fueren en lo tocante al gobierno ordinario de ellas.* Nam gubernatio ordinaria multas nouitates admittit, sunt enim illæ pro varietate temporum necessariæ, & ita in Capitulis generalibus & Prouincialibus passim disponuntur. Sunt insuper illæ ad bonum Religionum regimen, & obseruantiam redintegrationem aut conseruationem requisitæ, & ita obstat nequeunt conuersioni Indorum, aut tranquillo regionum Indiarum statu: unde ad ordinariâ gubernationem spectare credendæ sunt, & ex eo capite inter illa recensenda, quæ non prohibentur, cum cesset penitus ratio prohibitionis iuxta superius dicta. Hac enim ratione dispensationes Pontificiæ, & Declarationes Cardinalium pro tota Ecclesia, non debent registrari, ut aduertit Fr. Emmanuel *suprà*, additâ ratione à nobis ex eodem propositâ, quia in hoc non impeditur gubernatio pro conuertendis Indis, sed inuatur. Neque enim Ordinarium in eâ acceptatione sumendum, iuxta quam à delegato distinguitur, ut aliqui ineptè censuerunt; sed prout idem est ac conseruatum & visitatum, ac receptum. Sic namque communis modus loquendi habet, cui se Regia schedula conformant, & constat ex schedula, de qua Dom. Solorzano *num. 42. & in Politica pag. 731.* Unde plura eorum, quæ sine registro Litterarum fieri prohibentur, ad delegatam non pertinent potestatem, ut nominationes Commissariorum, & Vicariorum generalium: non enim esse tantum Delegatos, sed Ordinarios, probat Dom. So-

lorzano *num. 51. & in Politica pag. 732. s. T aunque.* Extinctio & erectio Prouinciarum, fundationes Conuentuum. Adduntur & in nouioribus aliâ, ut collationes Magisteriorum, declarationes Constitutionum, & aliorum, de quibus *suprà*, quatenus ratione illorum inuouari gubernatio potest. Et hoc pacto etiam illa, quæ delegationem continent, dici debent ad ordinariam gubernationem pertinere, quatenus pro illius sunt rectâ dispositione necessaria, ut nominationes Præsentium in Capitulis, quando ex Europa non veniunt, aut ex alio regno, ut diximus. Opponitur enim Ordinarium Extraordinario; cum tamen delegationes in gubernatione extraordinariâ non sint.

57 Hinc deduci resolutio multarum difficultatum potest circa praxim occurrentium, ut scilicet fauorabiliter quæ ad Religionum gubernationem spectant, & prætextu deficientis registri impediri possent, disponantur. Cum enim dicendum non sit Regias schedulas contraria inter se disponere, affirmari dum potius id, quod de inuocatione dicitur, ad extraordinaria notabiliter esse referendum, non ad ea, quæ licet aliquando noua sint, absolute tamen ad ordinarium gubernandi modum spectant, quatenus sine illis consistere rectâ nequit gubernatio. Quia verò in casuum contingentiâ, si Regia Prætoria suo indulgere arbitrio velint, periclitari possunt ob ea, quæ à nobis dicta *num. 60.* rectè quidem facient sapientes aliâs iudices, cum res sub quæstionem veniunt, & ita arbitrio locus est, si in fauorem supremorum Prælatorum arbitrentur, & ad ordinariam gubernationem ea, de quibus agitur, iudicent pertinere. Vbi præsertim nihil ex ambitionis turbulento spiritu actum deprehenditur, sed Prælati pro bono Religionis, vel ex certa scientiâ, vel ad obseruantiorum Religiosorum instantiam, statuere dignoscunt. Quos & oportebit consulere, ut factum in controuersia, de qua Dom. Solorzano *num. 61. & in Politica pag. 732. s. La Segunda.* Quod si ibi Regia Cancellaria se non interposuit, quia de hoc mentio expressa non habetur ex eo id formatur, quod à nobis dictum de valore assignationum pro vtroque foro, etiam registrum in Regio Consilio desideretur: quibus prædictis, subiciendæ iam peculiare.

#### Peculiares Resolutiones circa prædicta.

Vbi specialiter disquiritur quid dicatur ad ordinariam gubernationem spectare.

#### P R I M A.

##### De prorogatione Capituli.

58 Potest accedere, ut vel postulante Prouinciâ, vel ex causis non leuibus Reuerendissimus Generalis iubeat celebrationem differri Capituli, & ut finito Prouincialatus tempore, aut Prouincialis ipse, aut alius Vicarius sit vsque ad celebrationis tempus à Reuerendissimo designatum. Vbi dubitari potest an hoc ad ordinariam gubernationem